

quoque C. CLAVDIUS, in Sicilia sequester istius (Verris), interpres, confector negotiorum dicitur ^{s)} eodem sensu, et SENTVS VIRBIVS, *sequester in iudice corrumpendo* adhibitus vocatur ^{t)}. Hi igitur sunt sequestres corrumpendorum iudiciorum. Sed sunt quoque alii corrumpendarum tribuum conductores, quibus utebantur imprimis in ambiendis honoribus. Quo sensu palam est, CICERONEM ^{u)} hanc vocem adhibere, quum dicit: *Quod, haud scio, an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium (quoniam huc incidi) similiter respondendum putem.* Qui hi fuerint *sequestres* et *sodales*, interpretes item et diuisores, vberius et eleganter disputat CAROLVS SIGONIVS ^{v)}. Sunt autem hi iidem, qui et tribus venditores et corruptores et sequestres a CICERONE ^{x)} vocantur. Sed ab hisce, quas dixi, specialioribus significationibus, extensa deinceps posteriori aetate, et latior facta est vocis notio, vt omnem socium delicti et facinoris denotaret, quo sensu hac voce vsus est IVLIVS FIRMICVS *Maternus* ^{y)} et LVCIVS APVLEIVS, dum asinum *virginalis fugae sequestrum* i. e. adiutorem et socium adpellat ^{z)}, et alio loco *anum quamdam stupri sequestram et adulterorum internuntiam* vocat ^{aa)}, cuius

s) *Adcus. in Verrem Lib. 2. c. 44. f.*

t) *orat. pro A. Cluent. c. 8. f. 25.*

u) *orat. pro M. Coelio c. 7. f. 16.*

v) *de Iudiciis Lib. 2. c. 30. vbi de benignitate differit, et de vi sodalitorum in Tom. 2. de Antiquo Iure Pop. Rom. Edit. quae Lips. et Hal. 1715. prodiit pag. 645. sqq.*

x) *orat. pro Cn. Plancio c. 16. f. 38.*

y) *Lib. 3. Astronom. c. 13. sequestres et*

consocii in quibusdam malis et Lib. 6. c. 31. sequestres aut turpium libidinum ministri.

z) *Metamorph. L. 6. quem locum pariter vt illa FIRMICI nomino fide GESNERI, posteriorem tamen FIRMICI locum laudauit quoque IAC. GOTHOFREDVS loco mox nominando.*

aa) *Lib. 9. Methamorph. vt obseruat SCIPIO GENTILIS in originibus ad Pandect. l. v. sequester.*